



APPENDIX
AD PSALMVM XV.

DE IVRAMENTO.



IN calce commentarij super Psalmum 15. erant ista subijcienda, quæ hîc tandem toti Operi per gratiam Domini absoluto per appendicem adijcimus. Id quare nõ sit factum, haud puto magnopere reddendam esse rationem, quando hîc quoq; satis commodè resarciri potest, quod illic per incõsiderantiam, magnis ac prolixis operibus insidiosam, est neglectum. Quoniam Propheta Psalm. 15. versu penultimo & ultimo à ciue regni Dei inter cetera hanc requirit integritatem, *ut nec mutet, quæ proximo iurauit, nec pecuniam suam det ad vsurã: operæ precium fuerit & de Iureiurando & de Vsura quædam annotare, præsertim*

quòd nostro seculo plena sunt omnia iuramentis, & vsura creuit in immensum. Abundè scio non esse aures audiendi isti hominum generi, qui vsque adeò procul sunt ab integritate Christianæ pietatis, ut ne diuini quidem nominis vlla reuerentia teneantur nedum fraternæ charitatis spiritu ducantur, verùm ne fidelis admonitoris officium negligam, simpliciter & candidè, quid pio homini sentiendum curandumq; sit, admonebo.

Iuramentum quid sit, non est opus ut definiam. Notius enim est & vsitatius, quàm ut declarationem requirat, *esse iuramentum quo teste Deo, citato illius nomine, vel testamur de veritate aliqua: vel quod imponitur, seruaturos nos esse, sanctè promittimus.* Loquimur enim non de friuolo, sed legitimo iuramento.

Ratio iuramenti hæc est. Quoniam mortalibus omnibus id inesse præsumitur, ut numen esse credant, cui omnia secreta pateant fidesque & veritas plurimùm probetur: contra perfidia, fraus & mendacium vehementer displiceat, idq; sit iustitiæ studium, ut peierantes merita ultione puniat: obtinuit publico omnium vsu, ut ad faciendam fidem earum rerum, quarum veritatè alio pacto confirmatam ac certam reddere non possumus, numinis huius, Dei omnium, nomen testificationis gratia, vsurpemus, illumq; vindicem constituamus, si vel falsi aliquid iurauerimus, vel promissa non præstiterimus: de quo persuasum est omnibus, quòd nominis sui abusum inultum abire non sinat. Et iurandi huius religio inde ab initio maioribus nostris perpetuò maxima fuit, non solum apud Iudæos, sed & ethnicas nationes. Iureiurando, quæ dubia & incerta sunt, confirmantur: & si qua exorta est controuersia, illius interuentu dirimitur. Sic Apostolus Ebr. 6. dicit: *Homines per maiorem quàm ipsi sint iurant, & omnis controuersia eorum finis ad confirmationem est iuramentum. Sed ista nihil habent obscuritatis. Quare non egent fusiore declaratione: sed progrediendum est ad ea, de quibus plus est disceptationis: utpote, siue iusurandum licitum Christianis, deinde quis sit iuramenti abusus, tertio de solutione iuramentorum.*

An vsus iuramentorum licitus sit Christianis.

B Non esset opus hac quæstione, nisi Anabaptistæ multorum conscientias hac nostra ætate etiam isto erroneo dogmate turbassent, quo prorsus omne iusurandum, tanquam illicitum, è medio tollere nituntur: idq; prætextu verborum Christi Matth. 5. quibus sic dicit: *Rursum audistis, quòd dictum fuerit antiquis: Non peierabis, sed perfolues Domino ea quæ iuraueris. At ego dico vobis, ne iuretis omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia subsellium est pedum illius. &c. sed erit sermo vester, Est est, Non non.* Porro, quòd ultra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur. Ex hisce verbis colligunt illi, prorsus non licere Christiano vllum iuramenti genus, propter voculam vniuersalem *Omnino*, qua putant interdictum, ne quis vlllo modo iuret. Verùm quàm malè verba Christi intelligant, & ex illis hoc dogma inferant, annotabimus postea. Illud autem declarandum in præsentividetur, an iuramentum, sine dolo in veritate, & cum religione diuini nominis factum, res sit in se mala & illicita, vel secus. Si malum est in se, uti iureiurando, utiq; erit & illicitum. Si malum non est, nec illicitum erit, nisi per circumstantias reddatur malum & illicitum. Quod si quis malum dixerit, ob id malum sit necesse est, quòd iurando peccetur, vel contra gloriam nominis Dei, vel contra dilectionem proximi. Si verò neutro modo peccetur iurando, sic ut nec Dei, nec proximi dilectio lædatur, non video, quomodo aliqua recta & firma ratione dici possit, malum & illicitum esse iusurandum.

Iusurandum non esse contra nominis Dei gloriam.

Primum, si ratio illa consideretur, ob quam in vniuerso Mundo, apud cunctas nationes vsus iurandi obtinuit, cuius supra meminimus: manifestum (opinor) erit, haudquaquam derogari gloriæ Dei, quòd per nominis ipsius vsurpationem veritas confirmatur, & fidem inuenit, qui alio, qui quòd verum esse nouit, nullis alijs potest, vel testibus vel indicijs, nisi per vsurpationem nominis Dei, fide dignum efficere. Etenim cum sit Deus ipsa veritas, fieri non potest ut ægrè ferat hunc morem, quòd testimonio nominis ipsius veritas confirmatur. Nec facit ad nominis illius

YY

ignominiam